

Forfatter: Helgesen, Poul

Titel: Udrag fra Compendiosa regum Daniæ historia

Citation: Helgesen, Poul: "Skrifter af Paulus Helie 6. Bind / ved Marius Kristensen og Hans Ræder. - 1937 Udgivet af Det Danske Sprog- og Litteraturselskab", i Helgesen, Poul: *Skrifter af Paulus Helie 6. Bind / ved Marius Kristensen og Hans Ræder. - 1937 Udgivet af Det Danske Sprog- og Litteraturselskab*, 1932-1948, s. 37. Onlineudgave fra Arkiv for Dansk Litteratur: <https://tekster.kb.dk/catalog/adl-texts-helg06val2-shoot-idm140415585225952/facsimile.pdf> (tilgået 25. april 2024)

Anvendt udgave: *Skrifter af Paulus Helie 6. Bind / ved Marius Kristensen og Hans Ræder. - 1937 Udgivet af Det Danske Sprog- og Litteraturselskab*

Regum Daniæ Historia 37

tempore Anno domini 1287 iuratum est in Dacia a
27 viris nobilibus, dominum Iacobum comitem
Hallandiæ, dominum Stigotum Marscalchum, domi-
num Nicolaum Hallantzfar, dominum Petrum Por-
5 se, aliosque multos illorum complices, veros esse
regis Erici interfectores, qui statim sibi timentes in
Noruegiam fugerunt receptique sunt sub regis Nor-
uegiæ protectione. Anno domini 1293 mortuus est
dominus Stigotus, quondam Marscalchus regis inter-
10 fecti, in insula Hielm, quam arce quadam munierat,
vbi regis interfectores tuta habebant præsidia, vnde
etiam pyriticam exercebant. A Stigoti enim obitu
dispersi sunt ac diuersis locis supplicio affecti. Nam
anno statim sequente captus est Rane Ionsen, qui
15 extra Roschildiam rota percussus occubuit in vltio-
nem interfecti regis Erici, cuius idem Rane fuerat
cubicularius adeoque proditor infamis. Iste Ericus
mortuus est sine liberis anno 1319, cum regnasset
annis 33.

20 2. CHRISTOPHORVS.

96. Christophorus Erici frater, qui electus est
anno 1320. Iste erat regni diademate prorsus indig-
nus ob ignauiam, nec vnquam fortunatus aut felix,
adhæc omnis nobilitatis osor populique vorator. Igi-
25 tur tanquam perfidus princeps sustinuit multorum
rebellionem, quam declinare volens bis e regno fu-
gerat, redijtque spe recuperandi, sed nullo fructu.
Nam Holsatis in pignus dederat vniuersam Scha-
niam. Habebat autem tres filios, Ericum, Othonem
30 et Waldemarum. Ericum regem constituit, vt vna
secum regnaret, verum vterque male regnans in

graue odium incurrit. Nam regni proceres fugato patre filium captum carceri manciparunt in arce Hadersløf, qua occasione coeperunt Holsatiæ comites regnum ambire, nihil non tentantes, vt Danos in perpetuam quandam seruitutem redigerent, quod animaduertentes Danorum proceres reuocant ab exilio Christophorum regem, et Ericum illius filium a vinculis absoluunt, qui paulo post, breui tempore regnantes, calamitosa morte defuncti sunt. Anno domini 1333 Dominus Magnus Rex Sueciæ redemit vniuersam Schaniam a dominis Holsatiæ, qui illam in pignus acceperant a Christophoro rege Danorum, patre Waldemari Duri. Redemptionis autem pretium erat 70 milia marcarum argenti puri. Videntes autem Holsati ob tyrannidem, qua grassabantur in vniuersam Schaniam, defecisse Schaniæ proceres ad Magnum Smec regem Sueciæ, coacti sunt vendere, quod alioqui non fuissent diu habituri. Anno domini 1340 cum in regno Daniæ adhuc esset interregnum, mortuo scilicet rege Christophoro, et nondum ex aula Imperatoris reuerso Waldemaro, Iutiam sunt hostiliter ingressi domini Holsatiæ, Ioannes Dux et Gerardus Comes, eandem mox occupaturi. Cumque Comes Gerardus ad Randrusiam Iutiæ ciuitatem peruenisset ac ibidem sua firmasset præsidia, a nobili quodam viro Nicolao Ebbonis, patriæ libertatis studiosissimo, nocte interfectus occubuit cum multis nobilibus et alijs militibus, quos secum ibidem habebat in præsidijs.